







1. G
2. G
3. G
4. G
5. G
6. F
7. F
8. F
9. F
10. F
11. F
12. F
13. F
14. F
15. F
16. F
17. F
18. T
19. T
W T
J F



1. Faust de visu. 1684
2. Fehr de origine hydrose utriusque ovarii. 1762.
3. Fels de glandulis conglobatis. 1714
4. Fels aer vitae et sanitatis moderator. 1721.
5. Ferrel De Dyrenteria. 1742
6. Flach: De passione Iliaca. 1725
7. Flach: De luxatione ossis femoris rariore 1723.
8. Flach: De callo 1681
9. Flachland: De rabie canina 1780
10. Flieg: De malo hysterico 1750
11. Forst: De febribus inflammatoriis in genere 1747 1763
12. Frank De cura nephritidi calculosae tabe renis lethali erupta
13. Frensdorff. De partu praeternaturali ac difficili ob praesidentiam
funiculi umbilicalis 1749
14. Freytag De ortheocentero et bubonore Hevetiae in molis 1761
15. Freytag: De cataracta. 1771
16. Frederic. De uterina gravidarum haemorrhagia 1733.
17. Fried De cordis palpitatione 1760
18. Fries Memorab. casum in vienne de emolitione urinae
cum epirisi. 1775
19. Fries De morbo Herculeo vulg. epilepsia 1734.
20. Trison De haemorrhoidibus 1754.
21. Fuchs De affectibus cum vena portae 1718

[Faint, illegible handwriting on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side.]



QUÆSTIONUM

DE

V I S V

DODECAS,

IN

ACADEMIA ARGENTORATENSI

AD DISPUTANDUM PROPOSITA,

PRÆSIDE

D.D. JO. VALENT. SCHEID,

MEDICO ET PHYSICO

PROFESSORE,

IPSIUSQUE UNIVERSITATIS

P. T.

RECTORE MAGNIFICO,

A

JO. MICHAELE FAUSTIO,

ARGENTORAT. MED. STUD. A. & R.

IN AUDITORIO SOLENNI

DIE XXII. MENS. JUNII A. C. clvLxxxiv.

ARGENTORATI

LITERIS JOHANNIS PASTORII.

V I R I D
*Magnificis, Nobilissimis, Maxime
Reverendis, Amplissimis, Consultissimis,
Prudentissimis, Experientissimis
Spectatissimisque,*

LIBERALIS LEGATI
SCHENCKBECHERIANI
PRÆFECTIS GRAVISSIMIS,

*Dominis, Patronis, &
Promotoribus suis
Gratiosissimis,*

Primum hoc suum Physiologicum
exercitium


dat, dicat, dedicat,

Seque simul & studia sua humillime
commendat

Cliens devotissimus

Joannes Michael Faust,
Argentinenſis.





QUÆSTIO I.

*Virum Physico in visu demonstrando
Mathesis necessario consu-
lenda sit?*

Affinitatem mutuam, arctèque
conjunctam inter scientias, naturalem, atque
Mathematicam intercedere, nemo, qui alteru-
trius peritus est, negat. Verissimum certe di-
xit, quicumque dixit, quod non sit perfectus
Physicus, nisi sit perfectus Mathematicus, ne-
que perfectus Mathematicus, nisi sit perfectus Physicus. Dif-
ferunt equidem ratione objectis, ut dicunt, dum ex mente Aristo-
telis *l. 3. cal. c. 1.* mathesis tractat ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως, Physica ὄντα ἐκ
κατὰ φύσιν θεωρίας considerat. Est tamen, ubi hæc ratione abstractæ quan-
tatis ab omni materia distinctio non omnino locum in Mathesi
habet. Siquidem ipso quoque Aristotele fatente *l. 2. phys. c. 2.*
Optica μαθηματικὴν μὲν γραμμὴν, ἀλλ' ἔχ' ἢ μαθηματικὴν, ἀλλ' ἢ φυσικὴν
contemplatur, quod idem eodem asserente etiam evenit in Musi-
ca. Nimirum uti Opticus, cum, quæ ipsi speculanda est linea,
(quippe quæ nihil aliud est, quam lucis aut luminis radius) natu-
ralis sit, Physica scientia opus habet, ita & Physico pari ratione
in explicando istius lineæ tum defluxus, tum sensu Mathesis neces-
sariò consulenda erit. Imo si secundum Aristotelem *l. c.* absur-
dum, nosse quid Sol, quid Luna sit, & tamen quæ ipsis præter alia
accidentia figura sit, negligere, aut an terra, aut mundus rotun-
dus sit, Physicum insuper habere non deceat, quanto magis neces-

A 2

sarium

sarium erit, in explicando Visu de Mathesi unà esse occupatum. Sensit sane idem Galenus, dum *l. 10. us. part. c. 12.* in hoc negotio Mathematicam speculationem attingere necesse esse, expresse affirmavit: Quamvis, ut ipse fatetur, ab ea contemplatione deterrere eum potuisset, tum plerorumque ignorantia, tum, quod prolixa procrearet disputatio tædium. Certe si nihil esset præter id, quod nihil, nisi sub angulo videtur, jam satis constaret, illa omnino disciplina opus esse, quæ quid angulus, & quomodo dimetiendus sit, declarat; ut nihil nunc dicatur de refractione atque reflexione, quam utramque in visu explicando Physicum nosse oportet. Proinde, ut in aliis studiis Matheseos mirus est usus, ita in Physico summa est necessitas, & nullibi magis, quam in sensu visus explicando & demonstrando; quando, uti inferiora docebunt, experimenta mechanica, quorum rationem Mathesis Physicæ juncta tradit, quam aptissimè ipsius visus rationem adumbrant.

QUÆSTIO II.

Quomodo Visus definiendus sit?

CUm visus, nisi prius, quomodo sensus in genere definiendus sit, constet, defini nequeat, pauca quoque de eo definiendo nobis erunt præmittenda. Equidem sensus dupliciter dicitur, observante Gassendo, *l. 6. de sensu univers. c. 1.* dum in genere primo sensus pro quacunque facultate rei cuiuslibet naturaliter insita ad percipiendum aliquid, cujus perceptione seu apprehensione moveatur, accipitur. Deinde in specie pro facultate percipiendi, apprehendendi, cognoscendi, & si velis imaginandi, quæ reperitur duntaxat in iis, quæ vocantur vulgo animalia. De hoc vero qui proprie et in specie sensus dicitur, quarunt Philosophi, utrum per passionem, an vero per actionem defini debet. Per passionem qui definiunt, uti Scaliger *exercit. 298. n. 6.* partim auctoritate nituntur Aristotelis, *lib. 2. de anima c. 5.* sensum alterationem quandam esse, opinati, partim præter hanc, quod omnis alteratio passio sit, rationem, id allegant, quod positis omnibus, quæ ad sensum requirantur, necessario ipse sequatur sensus.

sensus. Qui actionem seu functionem sensum potius quam passionem esse existimant, illis præter auctoritatem Galeni, lib. 7. de Hippocrat. & Platon. decret. cap. 6. sensum dignotionem (quæ functio omnino est) expresse dicentis, ratio quoque non deficit. Nos, ut quid nobis in hac controversia videatur, dicamus, sensum nudam ac meram passionem esse negamus. Nimirum rationaliter omnino Galenus dixit: *Sensus non est alteratio ipsa, ut quidam putant, sed alterationis dignotio.* In alteratione equidem sensum consistere dici potest, ipsa tamen alteratio, uti modo dictum, sensus non est: quod vel ipse Aristoteles l. 2. de anima cap. 5. non negat, dum ipsi ἢ αἰσθησις ἐν τῷ κινεῖσθαι τε ἢ πάθει συμβαίνει. *Sensus in eo, quod est moveri, & pati accidit.* Imo res etiam inanimes quotidie ab aliis alterari atque mutari observamus, quas tamen sentire omnino negamus, nisi analogico illo à Gassendo notato sensu. Quod autem argumentum attinet à necessitate sensus, positis ejusdem omnibus requisitis, petitum, magis pro hac nostra quam pro illa sententia dimicat: Nempe illa omnia ad sensum necessaria requisita satis functionem priores partes tenere indignant; quandoquidem nisi anima, primum illud omnium facultatum & functionum principium, spiritusque sensitivi adsint, nullus etiam est sensus. Nam & oculum animalis recenter extincti perinde ac vivi lux ingreditur, & aurem sonus, licet nec videat, nec audiat; deficiente scilicet, quæ primas tenet, functione. Ex his facile patebit, cum visum sensum esse, nemo diffitebitur, quomodo visus definiendus quoque sit, nimirum quod non sit, uti Heintzino *Synops. Math. opt. p. 1. c. 8.* videtur, passio quædam oculi, velut organi visorii à visibili illata. Pari enim ratione ac in oculo, ita & in camera obscura, aut etiam in speculo lux ingreditur, ac reflectitur. Nemo tamen sanæ mentis vel cameram obscuram, vel speculum videre affirmabit. Proinde cum illam oculi passionem ab externo visibili illatam visus sensu percipiamus, potior erit pars perceptionis, atque cognitionis, quæ non est, nisi animæ agentis functio, quam affectionis ipsius organi visorii, seu passionis. Hinc non adeo exhibilanda est illa Peripateticorum ex Aristotelis l. 2. an. cap. 7. conflata visus definitio, qua visus *sensus esse dicitur, qui potestate aspectabile, actu aspectabile vel potius spectatum reddit.* Licet ferè idem per idem de-

finire videatur. Nempe, hujusmodi descriptionibus, inquit Gassendus *l. c.*, contenti esse debent ii, quibus communis notio statim nomine audito formata esse non potest satis. Quapropter, si plenior desideretur, hæc sufficiet, quod visus sit sensus seu functio ea animæ, qua lucem oculum, ceu organum visorium, afficientem percipit, pro animalis conservanda cōmunitate.

QUÆSTIO III.

Quomodo Visus fiat?

Circa hanc quæstionem olim inter Philosophos mota lis est, dum alii visum per emissionem cujuscumque rei ex oculis, alii verò per receptionem specierum ex objecto emanantium, alii utroque modo fieri statuerunt. Et necesse est, in visu aut objectum, quod videtur, ex se ipso ad nos aliquid mittere, quo facultati videndi, quæ in nobis est, sese insinuet, aut vim aliquam sentiendi à nobis usque ad objectum emanare, aut denique partim emissionem, partim vero receptionem ipsum visum constare. Harum diversarum opinionum fuerunt quoque diversi Authores. Siquidem Stoici primæ sententiæ addicti, uti ex Agellio *l. 5. noct. Att. c. 16.* patet, causas in ea, esse videndi dixerunt radiorum ex oculis, quæ videri queunt, emissionem, aërisque simul intentionem, licet regressum quendam, seu potius renunciatum unà fieri statuerint, quod verba Diogenis Laërtii, *l. 7. de vit. Philosoph.* probant, quando velut baculo τὸ βλέπόμενον ἀναγγέλλεσθαι, id quod videtur, renunciari iidem asseruerunt. Cui sententiæ affinis fuit Pythagoreorum, teste Plutarcho *l. 4. de placit. Phil. c. 14.* existimantium, intentum ferri visum, atque repercusi, ac in se redire; haud secus, ac manus extendatur, & ad humerum reducatur. Qui per receptionem visum fieri crediderunt Philosophi, inter eos eminent Democritus, qui, ut Plutarchus, *l. c. c. 13.* ait, imaginum insertionem nos videre putavit: quod etiam post eum docuit Epicurus. Imo uti præter inane nihil non corporeum statuit, ita & eas imagines corporeas credidit Epicurus, unde Lucretius *l. 4. de rer. nat. vers. 34.* canit,

Esse

- - *Esse ea, quæ tandem simulachra vocamus,
Quæ quasi membrana summo de corpore rerum
Derepta volitant, ulroque citroque per auras.*

Et paulo post vers. 46.

*Dico igitur rerum effigies, tenuis que figuras
Mittier ab rebus summo de cortice earum.*

*Quæ quasi membrana, vel cortex nominanda est;
Quod speciem, ac formam similem gerit ejus imago,
Quo juscunque cluet de corpore fusa vagari.*

Hæc certe simulacra aut potius *ὑπορροιαί* Epicureæ seu effluvia emanantia non admodum diversimode ab illis speciebus, quas interpretes atque sectatores Aristotelis comminiscuntur, & species intentionales dicunt, describuntur. Eas equidem non corporeas, uti Epicurus fecit, sed corporis expertes statuunt, separatas tamen, & ab objectis continenter fluentes, certisq; dimensionibus subjectas describunt. Sed quomodo accidens sine corpore persistere potest, aut emanare: cum de subjecto in subjectum nullatenus migret. Empedocles utroque modo visum fieri, videtur esse opinatus, dum, uti ex Aristotele *l. de sensu & sensili. c. 2.* discimus, interdum *ἐξιόντος τῆ φωτὸς*, egrediente luce, interdum *ταῖς ἀπορροιαῖς ταῖς ἀπὸ τῶν ὀραμένων*, defluxibus ab iis, quæ videntur, cernere nos, affirmavit. Quam sententiam etiam amplexum esse Platonem, ipsius à Plutarcho *l. c. c. 13.* notata *συνάυγεια* arguit, splendoris nimirum, tum emissi, tum ingressi concursus. Unde expressè in Timæo ait: *Cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi in unius jam domestici corporis coherent speciem, ubicunque videlicet tum intimi atq; externi luminis fit concursus.* & c. Galenus *l. 7. de Hipp. & Pl. decret. c. 5.* controversiam quidem decidendam suscipit, licet non omnino, quid ipse statuatur, rotunde declaret. Quandoque enim emissioni, ut *cap. cit.* videtur favere, ingressum probare quandoque ut *cap. 7.* cum probabiliores Epicuri imagines pronunciat. Imo cum Aristotelem adhuc melius Epicuro non corporeum simulachrum, sed qualitatem quandam per circumfusi aëris alterationem à rebus ad intuitum usque nostrum pervenire, asseverare affirmat. Hoc certe probat, Aristotelem, cum *l. c.* motionem, sive illa per lucem sive per aërem
fiat

fiat, visum efficere ait, non nisi de ingressu imaginum esse intelligendum: certè l. 2. an. c. 12. expressè ei dicitur i. e. imaginum aut specierum fit mentio; licet ipsum Aristotelem imagines illas, quas nimirum vulgo species intentionales ac visibiles appellant, somniasse Gassendus *Phys. s. 1. l. 6. c. 13.* neget. Quicquid sit, illæ ipsæ imagines, aut quas vulgo dicunt species visibiles seu intentionales nihil aliud sunt, ut rectè censet Gassendus *l. c. quam ipsa lux, referens rei colorem circumscriptum, delineatumque.* Nempe lux, quam aliàs secundariam, seu lumen appellant. Nimirum, cum sit de natura lucis, quæ qua versum sese diffundere, & qua patet aditus, haud secus ac de aère se res habet, sese explicare, fit, ut, ubi impingat, sui quoque, id est rei vel lucidæ vel illustratæ pingat speciem, seu potius imaginem. Alio certe sensu illæ species intentionales admitti nequeunt: Ut adeo superflua sit curiositas quærentium, qua ratione producantur, aut ad oculum pertingant, aut utrum ex aëris potentia educantur, & quæ sunt aliæ otiosæ Scholasticorum circa illas species excogitatæ quæstiones. Sed ut ad controversiam superius motam revertamur, in utroque, quo visum fieri putarunt antiqui Philosophi, modo Galenus *l. c. c. 5.* invenit, quod ipsum offendit: Siquidem, si per immisionem fiat, nimirum qua per exiguum pupillæ foramen, pars aliqua, aut facultas, aut simulachrum, aut qualitas ex corporibus extrinsecus objectis ad nos accederet, rerum magnitudinem, v. c. vasti alicujus montis nullo modo nos percipere posse, concludit. Verum, ut taceamus, nihil magnum dici, nec parvum, nisi comparatè, habito nimirum ad duo respectu, ad quod Galenus forsitan non attendit, certe non consideravit, oculum nostrum parem esse innumerabilibus, qui concipi possent, radiis ex vasto aliquo monte fluentibus recipiendis, cum vel minimum speculum convexum illis etiam reflectendis sufficiat. Uti autem de hoc dubio circa modum, quo visus fiat, præter rationem Galenus sollicitus fuit, ita ratione magis pollet alterum, quod movet de altero emissionis scilicet modo dubium. Omnino enim est, ut ratiocinetur, quod si spiritus intuitivus exiret, nulla ratione posset tanta diffusionem dilatari, ut omnes visui objectas expositas res circumfusis complecteretur. Certe qua ratione quicquid illud esset, quod egrederetur, tam in instanti ad remotissima quæque pergeret, Nam quamvis spiritum non admittamus, sed lucem, cujus motus extra dubium in instanti est,

est, concipiamus, non tamen, si quæ lux adhuc oculis ingenua concedenda est, tanta illa est, ut ea ne dicamus ad sidera, tantum ad aliquot passus pertingere, aut radios evibrare queat. Nempe & lux suos terminos habet, & licet in infinitum, quousque nimirum radius ejus directus extendi potest, agere vulgo dicatur, propterea tamen non tanta semper est, ut visum moveat: uti siderum quæ vetustas ignoravit, nostrum autem seculum beneficio telescopiorum detexit, exemplo patet. Si nihil dicendum est, quod lux non nisi ad certum duntaxat terminum illustrare valeat. Certum proinde est, lucis motum visum efficere, nempe, cum lux sponte oculum subiens, ab eoque recepta sensorium ipsum afficit, spiritu animali, aut saltem facultate percipiendi, instructum. Lucis sane natura in motu quam maxime consistit, unde & qui à Cartesii partibus stant recentiores Philosophi, ipsam lucem nihil aliud esse, quam motum quendam, vel actionem, qua corpora luminosa materiam subtilem quaquaversum secundum lineas rectas à se propellunt, definiuerunt, uti *Ant. le Grand Phil. Instit. part. 5. art. 14.* Hinc quomodo objectum visus oculo sese insinuet, facile concipi potest. Nimirum, dum, uti dictum, lux sponte oculum subit, fit, ut sui quoque imaginem in penetralibus oculi, quæ retina occupat, cum ulterius pergere nequeat, delineet, haud secus ac in camera obscura artificiali contingit, cum ipse oculus omnisque ejus apparatus veluti cameram quandam obscuram naturalem constituent. Sic nempe lux primum corneæ protuberantiam transit, in qua primò refracta, per aqueum humorem, & pupillæ foramen usque ad crystallinum humorem pergit, in quo radii, velut in centro quodam, colliguntur, ab eo deinde per vitreum humorem denuo refracti ad retinam remittuntur, in qua reflexi corporis quoque seu lucidi seu illustrati ex arte depingunt imaginem. Et uti observamus in camera obscura artificiali, quod, prout lens vitrea magis convexa, aut minus est, parietem album excipientem propter sphaeræ scilicet segmentum vel propiorem vel remotiorem esse debere, ut imagines clarius depingantur; itemque cum quæ propinquiora sunt objecta, etiam magis removendum à vitrea lente cogant parietem, quæ magis distant, magis ut accedat paries, suadeant; pari quoque ratione se rem in oculo habere, ratiocinari possumus. Unde pro

B

exacta

exacta objecti visibilis delineatione, necesse est, humorem crystal-
 linum, vel situm quadantenus mutare, ut magis ad corneam ac
 retinam aut accedat, aut ab iis recedat; vel superficiem acquirere
 opus est humorem crystallinum utrinque nunc magis nunc minus
 convexam, ut eo accuratius objecta pro ratione distantiae deline-
 entur. In quem quidem finem videtur natura machinata esse illud
 ligamentum, ciliare dictum, cujus ope tum situs tum superficiem
 mutationem moliretur. Ita etiam, cum in camera obscura artifi-
 ciali multum faciat diameter foraminis aperti, ipsiusque lentis, ut
 major sit, vel minor pro majori vel minori diametro sphaerae, cujus
 lens segmentum est, nempe ut lux sufficienter transgredi queat,
 pari quoque ratione observamus in oculo per processus ciliares
 pupillam, quae velut foramen camerae obscurae constituit, pro ve-
 getiore aut remissiore luce ampliari aut constringi (uti vel quilibet
 in se inspecto speculo, aut in alio quotidie experiri potest, aliter
 atque aliter pupillam circa crepusculum aut meridiem se habere)
 nempe ne nimis copiosa lux irruens imaginum delineationem tur-
 bet, aut minus, quam par est, transiens eas non sufficienter depin-
 gat. Sed nec partes in visu efficiendo corneae denegandae sunt.
 Ipsi certe protuberantia, si pro majori objectorum recipienda
 copia juxta Cartesii placitum condita est, haud obscure innuit,
 ipsam quoque nunc magis nunc minus attolli, ac subsidere, quo
 nimirum accuratius, quae etiam ad latera deflectunt, objecta con-
 cipere queat. Imò vero, cum, uti superiora demonstrarunt, hu-
 mores, quoad situm quadantenus moveantur, vix fieri potest, quin
 una cornea illa protuberantia non etiam vel intumescendo vel de-
 sidendo mutetur. Verum quod delineationem objecti visibilis
 attinet, satis dictum putamus, superest, ut quantum fieri potest,
 quae ratione illa objectorum delineatio sentiat, paucis tente-
 mus. Per quae quidem hoc organa fiat generalia in confesso est,
 nempe cerebrum, ejusque imprimis propagines, nervos, in iisque
 fluentes refluentesque spiritus animales; non tamen aequè patet,
 qua ratione illud idem fiat. Gassendus modum sensationis sic de-
 scribit *lib. 6. de sens. univers. c. 1. Dico jam* (præmissis variis ad per-
 ceptionem sensus necessariis suppositionibus) *quia nervus nervu-
 lusque non potest contingi, quin aliquatenus prematur; neque potest ul-*
latus

latenus premi, quin ob distentionem spiritus contentus urgeatur, neque spiritus illic sic urgeri, quin pellat, seu potius repellat vicinum instantem, ac pari ratione advenientem ex cerebro; neque iste porro repelli, quin tota serie ob repletionem continui atemque compulsus, spiritus existens ad ipsam originem nervi nervulive in cerebrum quasi resiliat; ideo facultatem sentiendi residentem in cerebro quasi resiltu moveri, factumque attatum percipere, apprehendere, seu cognoscere ac sentire. Quippe (uti paulo post) non aliquid mitti, sed remitti potius repulsive videtur, spiritus nempe nervis contentus, neque apparet quidpiam aliud peringere in cerebrum posse. Sed pace doctissimi Viri dicere liceat, ipsum dixisse aliquid, non vero omnino rem exhaustisse. Qua enim mora opus esset, donec ille successus mutuus spirituum absolveretur, licet citissimus concipiatur. Certe in instanti visus fit, ubi primum objectum visibile oculo exhibetur. Hinc si illa tenuissima nervorum filamenta quæ Cartesius commune omnium sensibilibum sensorium statuit, & in quorum motu sensum consistere credit, ita facile demonstrari, quam concipi possent, verisimiliter omnino dicere possemus, iis motis, fibrillas quoque nervorum corripiti, atque intendi, atque ita cerebro motum illum è vestigio communicari. Motum enim fieri circa insertionem nervi, etiam optici, ut de reliquis sensibus destinatis nervis, ceu in quibus motus manifestus est, nihil dicatur, exinde concludere licet, quod uti modo dictum, pro percipiendis accuratè objectis, tum pupilla, tum humor crystallinus moveatur, quorum motu & vitreus quoque humor moveatur necesse, qui contiguæ unà retinæ tunicae, & hæc nervo ipsi motum imprimere valet. Quod si vero quaeratur, quidnam, ut ita humor Crystallinus sese componat, aut foramen uveæ sese adaptet, impellat, ille non gravabitur, si rursus quaeratur, quid sit, quod præcise hunc vel illum v. c. musculum pro adducendo vel abducendo brachio moveat. Nempe hæc tamen nondum, qua ratione ipsa anima cognoscat, declarant. Quacunque enim concipiamus ratione sensum interiorem, quem communem dicunt, omnia exteriora sensilia apprehendere, quibuscunque id fiat organo, semper tamen aqua nobis hærebit, quomodo ipsa anima organum affectum esse cognoscat atque judicet, explicare. Nam quæ de glandula pineali recentiores nonnulli

suspiciantur, meræ sunt conjecturæ. Imò si vel maxime illis ipsis
 ea illi glandulæ facta impressio concedatur, tamen, quomodo il-
 lam ipsam impressionem anima cognoscat, non demonstratur.
 Proinde ut in aliis, ita in primis in visu ingeminandum est illud:

Est aliqua prodire-tenus, si non datur ultra!

QUÆSTIO IV.

*Utrum magis per refractionem? an vero
 per reflexionem visus fiat?*

Cum lucis radius directè, quousque potest, pergat, donec ob-
 corpus aliquod ipsi objectum in quod impingit, determina-
 tionis variationem adipiscatur, quæ vel transmissionis ratione re-
 fractio, vel ob remissionem reflexio est, ita necesse est, lucem ocu-
 lum ingredientem transeuntemque refringi, & si ulterius via non
 patet, reflecti. Uti enim in corporibus diaphanis lucis fit refra-
 ctio, & in opacis reflexio; ita cum luci refringendæ atque refle-
 ctendæ aptas natas in oculo observemus partes, dubium esse non
 debet, quin lucis quoque fiat tum refractio, tum reflexio. Quæ-
 stio hic solum ea est, cui magis debeatur in visu, utrum reflexioni,
 an refractioni? Reflexioni procul dubio partes deferent, qui pro
 speciebus illis intentionalibus crystallino humori impressis, de-
 monstrandis laborant, quando ipsum crystallinum nihil aliud
 quam vivum quoddam speculum esse asserunt: in quo vitri qui-
 dem partes ipse crystallinus, argenti vero vivi retro affusi, quod
 folium vulgò vocant, vices humor vitreus obeat. Sed falsum
 omnino est, radium lucis in humore crystallino sisti, cum quæ sint
 diaphana lucis quoque radio sint pervia. Quamvis enim hu-
 mor crystallinus reflectere videri possit, dum alter alterum intuens
 sui in alterius oculo imaginem cernit, hoc tamen, radium lucis
 ibi sisti, non probat. Nempe hoc fit, quod visus ob partes retro
 crystallinum minus illustratas ulterius penetrare nequeat, aut
 quod lux in penetralibus oculi reflexa ad visum non perveniat;
 haud secus ac in camera obscura artificiali etiam contingit, ut qui
 foras

foras sunt, rerum imaginem in vitro lenticulari velut in speculo cernant, licet radius lucis ad parietem excipientem usque pergat. Sic & ut in lente illa vitrea, ita & in oculo erectas imagines videmus, quas tamen interius inversas ratio demonstrat & experientia. Reflexione nihilominus, sive ea in retina tunica fiat, sive in choroide ultimum ferè, quod in oculo pro visu efficiendo fit, fieri videtur: ita, ut potiores ejus in visu esse partes, perinde ac in camera obscura, haud absque ratione quis putare posset, nisi refractionis negotium, quod adeo multum in oculo, propter partium, in quibus fit, multitudinem naturæ est, plus refractioni deberi, efflagitare videretur. Refringitur namque primùm lucis radius in illa scleroticæ protuberantia, quam corneam dicimus, dein in aqueo humore, tum in crystallino, tandem in vitreo: licet omnis hæc refractionis non nisi reflexionis ultimæ gratia videtur esse instituta. Proinde si dicendum, quod res est, neutra alteri videtur esse præferenda, dum sine refractione objectum recipi nequit, nec sine reflexione adumbrari.

QUÆSTIO V.

Quanam Oculi pars præcisè primarium visus sit organum?

Oculum visus organon variis & multis partibus, omnibus procul dubio visui tum faciendo, tum meliori reddendo comparatis, instructum esse, anatomica administratio demonstrat. Itaque non absque ratione, quanam inter illas præcipuum visus sit organum, & olim disquisitum fuit, & adhuc disputatur. Veteres equidem communi suffragio primas humori crystallino, aut pupillæ deferebant, quod in medio oculi partes illæ sitæ æquales rerum exciperent radios, & velut in centro colligerent, unde & ipsos radios, seu, ut loquebantur, species in crystallino humore sisti, arbitrabantur, cui & accedebat, quod modo dictus humor ferè centrum ipsius oculi, digniorem nimirum ac præcipuum locum occupare videbatur. Sed nullum omnino aut lubricum in demonst-

da natura argumentum à loci dignitate, quæ nihil in ipsa natura valet, petitum est. Sicut nec, quod ex Galeno *l. 4. de usu part. c. 12.* de primario in hepate sanguificationis organo disputante trahitur argumentum, humorem crystallinum primarium visus instrumentum esse, demonstrat. Si enim, ut in quavis parte organica, cui functio aliqua commissa est, ejusmodi particula, scil. similis, cui nusquam in toto corpore alia sit similis, propriæ totius instrumenti actionis auctor putanda est, ita in oculo humori crystallino primariò sensus visus tribuendus, ceu cui in toto corpore nulla alia pars similis reperiatur, quid quæso dicendum erit, de reliquis ferè omnibus oculi partibus vulgò similaribus dictis, quippe quæ pleræque nullas sibi similes in toto corpore partes agnoscunt. Ubi enim in reliquo corpore ejusmodi humor limpidus, ac aqueus, nec qui aëri externo etiam frigidissimo expositus congeletur, uti experientia demonstrat, reperitur? Ubi humor vitreo similis? Ubi tunicis aliæ membranæ omnino pares in universo corpore demonstrari queunt. Ut adeo pateat parum omninò hoc Galeni effatum pro humore crystallino præcipuo visus organo demonstrando efficere, si non dubium ob ipsam hanc inductionem pronunciandum est. Hoc forsitan magis pro crystallino humore argumentum staret, quod non tantum radios omnes ab objecto visibili emanantes excipiat, & in unum quasi colligat, sed & collectos trajiciat, aded, ut, velut in puncto, in ipso sint omnia illa, & aded varia foras obversantia, unico tamen oculi ictu percepta, objecta; ea nimirum ratione, qua vulgus in camera obscura primas vitreæ lenti deferret, nisi & illæ imagines per foramen, nullo artificiali instructū vitro, licet minus distinctæ, delinearentur; ita ut vitrum illud lenticulare non ad esse, ut loqui solent, sed tantum ad melius esse, faciat. Hoc ipsum tamen experimentum non adeo derogat humoris crystallini dignitati, quantum illud Parisiensis cujusdam Chirurghi, cujus meminit Galsendus *Phys. s. 3. m. post. l. 7. c. 5.* qui in affectu oculorum, *cataracta appellato, operatione Chirurgica humorem crystallinum deprimi demonstravit*, ita ut deinceps homo sine crystallino videat, si modo fidem illa observatio meretur. Præter situs oportunitatem quæ reliqua sunt Galeni *l. 10. de usu part. c. 6.* pro humore crystallino argumenta

gumenta

gumenta, nempe à symmetria in mollitie, à coloris fulgore, atque à vi operimentorum desumpta, non tanti sunt, ut proluxa confutatione egeant: cum ea ipsa facile dilui possunt, quando vel solum, ea ferè omnia de omnibus oculi partibus dici posse, attendatur. Alia proinde in oculo pars quærenda est, quæ visus primarium sit instrumentum. Quod quidem recentioribus magis in membranis quam in humoribus fieri debere, videtur. Communissima nimirum nunc fert sententia, membranam, quam ob speciem Græci ἀμβλακιδειδῆ, Latini retiformem, aut retinam dicunt, primarium & præcipuum visus esse organon. Hoc vero assertum pluribus quoque rationibus probant. Si quidem cum reliqui sensus omnes per nervos fiant, aut tunicas potius immediatè à nervis prodeuntes, rationi quoque consonum videtur, eodem ejusmodi organo sensuum nobilissimum visum contingere. Talis autem tunica tum quæ retiformis dicitur, tum quæ choroides appellatur, est, quippe quæ ambæ immediatè à nervo Optico propagantur, hæc quidem ab ejus membrana à tenui meninge enata, illa à medullari ejusdem substantia, cujus certè quædam est productio (nempe, an tunica sit, non operose disputabimus, juxta plerorumque consuetudinem, tunicam eam appellantes.) Proinde cum humor crystallinus unà cum sua, cui involutus est, tunica nimis longè à nervo distet, ita ut adedè exquisiti sensus, quo tamen ad visum necessariò opus est, esse non possit, magis probabile videtur, in illa oculi parte ipsum sensum visus primariò esse, quæ sensu quam exquisitissimo sit prædita, quo quidem nulla reliquarum in oculo partium tunicas, tum retiformem, tum choroidem, superabit. Sed & cum tantum pro colligendis atque trajiciendis radiis crystallinus conditus esse videatur, atque ita visui inchoando serviat, plus sanè debebitur parti, in qua perficitur, quam in qua inchoatur. Illud verò, sive in retina, sive in choroide contingat, necesse est. Unde & hac ratione magis quam crystallinus primarium visus organum haberi merebuntur. Nempe si quid juxta Galenum l. c. situs oportunitas valet in demonstrando præcipuo visus organo, tum multo magis pro hisce tunicis, quam pro humore crystallino valebit: quoniam ultima ibi fit reflexio, in qua tamen illi ipsi, qui humori crystallino primas deferebant, visum quam maximè consistere

stere

here, fuerunt arbitrati. Hoc tantum superest, quænam ex hisce
 duabus tunicis alteri sit præferenda, utrum nimirum in retina cum
 plerisque recentioribus Physicis atque Mathematicis subsisten-
 dum sit, aut juxta novissimam insignium nonnullorum naturæ
 scrutatorum sententiam, ad choroidem transeundum. Argu-
 menta sanè pro utraque speciosa in promptu sunt, quæ collegit at-
 que discussit DuHamel *tr. de corp, anim. l. 2. c. 5. §. 12. seqq.* ut
 difficile videri possit determinatu, cuiam tunicæ primæ debean-
 tur. Videtur tamen plus retinæ tribuendum. Cum enim omnis
 sensus propriè in cerebro fiat, & perficiatur, certe visus potius in
 retina, quippe quæ jam Galeno *l. 10 de usu part. c. 2.* observatore,
 ipsius cerebri exempti portio revera est, quam in quavis alia oculi
 parte perficietur. Et si quid de exquisito sensu dicendum est, qua
 quidem choroides prædita sit, videtur plus tribui debere retiformis
 quippe quæ ipsissimum est spiritus visivi domicilium, quem nervus
 opticus laxa mollitie à cerebro acceptum ed transmittit. Aded
 ut nulla pars oculi magis videri queat esse animata. Quod autem
 attinet conjecturam, tum ante laudati DuHamel, tum Mariotti
 qui auctor recentissimæ hujus est sententiæ, quod objecta quando-
 que directè oculo obversantia non cernantur, aut longinquitate
 oculis subducantur ex ea ratione, quod tum recta in basin nervi
 optici, atque eam partem, qua choroides deficit, radius incidat,
 illa ipsa conjectura nondum ad amissim est demonstrata: quan-
 doquidem & quod allegatur, experimentum fallax est. Qua de
 causa, cum non tantum in retina imaginum delineatio exacta fiat,
 sed & ipsa spiritibus animalibus undique quam maximè sit perfu-
 sa, ipsis spiritibus quasi species objecti imprimitur, quo animam
 ejus perceptionis (sit venia verbo) quodam velut renunciatu cer-
 tiorem reddant. Licet omnino multas & ipsa choroides
 in visu efficiendo, imò secundas à retina partes
 habere non negemus.

QUÆ.

QUÆSTIO VI.

*Quodnam Visus Objectum sit, Lux
an Color?*

QUAMVIS operosæ nunc disputationi, quid lux sit, aut color, & quomodo definiiri debeant, & quam variæ circa definitiones lucis & coloris extent Philosophorum sententiæ, supersedere possemus, cum in quaestione solum sit, utrum, quod vulgo dici solet, objectum visus color sit, an verò lux, illustrioris tamen doctrinæ causa, nonnulla huc trahere obligamur. Equidem, qui Peripateticis ex Arist. *l. de sensu & sensili, c. 3.* definiiri solet color, quod sit terminus perspicui, non immeritò, utrum objectum visus sit, dubitatur. Visum enim neque perspicuum per se, neque ipsius terminus movere valet. Et licet ea ratione color terminus perspicui dici queat, & sit, quatenus omne corpus quoad externum ambitum quadantenus transparentes est, uti microscopia fidem faciunt, attamen nisi lux accesserit, omninò nullus est. Unde & dicere amant, colorem non quâ colorem, sed quâ radiantem cerni. Nempe, uti Gassendus *Phys. s. 1. l. 6. c. 12.* fatetur, ipsius coloris essentia non alia est, quam ipsa lux. Et ut omnis lux colorem secum vehit, ita color quoque nihil aliud videtur esse, nisi lux colorata. Certè, quatenus sensum visus movet, à luce distingui non potest. Etenim perspicuum illud est, quod à luce penetratur, ceu cuius ratione perspicuum, aut pellucidum dicitur: ut eatenus, hoc nimirum sensu, Peripateticis qui color dicitur, pro objecto visus admitti queat. Est tamen potius lux objectum visus dicendum, quatenus ipsa per se visum movet. Et quamvis, uti jam dictum, nunquam absque colore lux sit, siquidem si vel maximè coloris expertis conciperetur, ad album quàm proximè accederet, aded ut non possit non esse colorata. Et cum ipsa colorum varietas ex varia lucis reflexione atque refractione, imò si loqui fas est, lucis ac tenebrarum commistione oritur, patet quoque, non aliam esse distinctionem inter colorem verum, & apparentem, nisi quando oculus præter naturam affectus est, quàm

C

inter

inter rem permanentem & fluxam, lucique, ceu sine qua nullus color est, primas in movendo visus sensu deberi, atque proinde proprium ipsius esse objectum.

QUÆSTIO VII.

An ad Visum necessariò requiratur Lux oculis ingenita?

Qui, cum Platoniciis atque Stoicis emissionem statuentes, oculi naturam igneam esse, dixerunt, omninò etiam lucem oculis ingenitam esse, & ad visum necessariò requiri asseruerunt, cum non alium, nisi sidereum illum oculorum ignem esse, pronunciarunt. Sed & animalia noctu cernentia, quorum oculi sunt *νυκταλαμπεῖς*, lucem non tantùm oculis ingenitam, sed etiam ad visum necessariam esse, probare videntur. Imò & hoc, qui acie nocturnâ pollent, Græcis ex mente Hippocratis *νυκτάλωπες* dicti, certum reddere, videri possent. Verum omninò est, ut dubitemus, non solùm, utrum lux quædam ingenita ad visum necessaria sit, sed & utrum talis lux in humano oculo detur. Quanquam enim historiarum extant, uti quæ est de Tiberio Cæsare apud Suetonium in ejus vita, c. 68. & Plinium *histor. nat. l. 11. c. 37.* & quæ miranda est Conimbricensium in *lib. 2. Arist. de an. c. 7. quest. 9. art. 1.* & quas alias collegerunt Sennertus *prax. med. l. 1. p. 3. sect. 2. c. 44.* & Bartholinus *l. 1. de luce hom. c. 14.* alique. Attamen non omninò comprobant, luce quædam ingenitâ opus esse, quâ visus fiat. Et cum inter monstra, si vera sunt allegata exempla, & quæ de semet ipsis testantur Cælius & Cardanus numerari merentur, jam patet, non ordinaria hæc ipsa naturæ lege constare: ac proinde nulla luce ingenita ad visum naturaliter se habentem ad eò opus esse, ut vel exinde emissio illa Platonica aut Stoica admitti queat; cum lux externa incidens sufficiens omninò sit ad visum movendum. Quod verò animalia noctu cernentia, quorum oculi quoque in tenebris fulgent, attinet, illa humano quoque oculo tale quid inesse debere, non probant: cum mirum non videri debeat, si ipsis peculiare quid in visu natura concesserit, ut homine acutius cernerent,

nerent, quando & animalia & auditu & olfactu manifestè hominem vincunt. Proinde, nisi per lucem oculorum pellucidissimos illos humores, atque membranam corneam dictam, lucemque externam reflectentes, aut etiam spiritus illos illustres atque purissimos, & velut æthereos intelligamus, lux illa oculorum interna aut ingenita non videtur posse demonstrari: alia certè ratione humani oculi Poëtis lumina dici haud merentur.

QUÆSTIO VIII.

*An Medium illud Visus, quod τὸ διαφανὲς
vocant, necessario debeat esse
illuminatum?*

Cum visus absque medio aliquo, quod organum inter atque objectum sit, necesse est, nequaquam accuratè fiat, meritò quoque quaritur, utrum illud ipsum necessariò debeat esse illuminatum. Equidem negarent hoc forsitan aliqui, qui è tenebris in apricum accuratorem nobismet visum esse simul animadverterunt, (unde & è profundis atque tenebricosis puteis stellas interdiu conspici asseverant) aut qui in Sole versantibus, debilem atque incertum in umbrosa loca esse prospectum, observarunt. Verùm hi non ad id, quod propriè & præcisè visus medium est, attendent: quandoquidem non illud omne, quod undiquaque & objectum & organum circumstat, pellucidum visus medium nuncupari meretur, sed tantum illud, quod inter objectum & organum præcisè est. Hinc cum nihil, nisi quod vel lucidum in se est, vel illustratum videtur, & à quo radii lucis ad oculum pertingant, patet, ipsum quoque intermedium spatium necessariò debere esse illuminatum, quandoquidem per illud lucis radii ferantur. Nempe & si cum Aristotele color terminus perspicui dicendus, ipsum quoque perspicuum luce perfusum sit, necesse est, siquidem uti suprà demonstratum est, absque luce propriè nullus est color. Sed & medium illuminatum probat, quod alio atque alio colore tincta objecta pro medii conditione quandoque appareant, uti vel

in sideribus horis, vel in ortu, vel in occasu propioribus observare licet: si de aliis perspicuis coloratis nihil dicendum est. Quod verò ex obscuro in apricum accuratior sit visus, quàm ex luce in umbram, causa non est tam in medio, quàm in visus organo quaerenda, quod quidem prout, vel in luce, vel in umbra, constitutum est, aliter atque aliter se habere solet; perinde uti etiam ratione horarum diei, aut etiam ipsius vel magis vel minus sereni variat. Nimirum in summa luce, quantum potest, pupilla constringitur, ne delineatio imaginum ob nimis irruentem lucem oblitteretur, uti contrà in umbra dilatatur, quo lux sufficienter oculi penetrabilia ad melius objecta delineanda subeat. Unde & quandoque ex umbra adèd exquisitus in illustrata sole loca visus est; ut, sicut fit in aliis sensibus, ob nimis vehemens sensile, sensorium ipsum lædatur.

QUÆSTIO IX.

An rectè albus color visum disgregare, ater congregare dicatur?

VTi alba quæ sunt, lucis radios quàm maximè dispergunt, atra verò collectos retinent, sicut experientia in corporibus, vel vitris, vel speculis causticis accendendis, hujus rei fidem facit, ita non mirum est, qui id observarunt forsitan, album quoque colorem visum disgregare, nigrum contrà congregare pronunciarunt. Certè modò allegato experimento constat, album colorem adèd radiorum disgregativum esse, ut ne quidem chartam albam, rem adèd facili negotio ignem concipientem, vitro aut speculo caustico comburere queamus. Hinc cum adèd copiosos radios lucis albus color ejaculetur, eorum quantitate ceu nimio sensili ipsum lædatur sensorium, necesse est. Album enim colorem non videmus, nisi unà recipiamus impressionem insignis quantitatis radiorum, quæ omninò visum defatigat, nigrum contra videtur, quando nulli recipiuntur, quod fatigationem tollit, uti ratiocinatur Rohaultus *Phys. part. 1. c. 27. §. 63.* Ipsum verò

OCULUS

oculum candidus color magis constringit, ejus nimirum pupillam, ob nimiam scilicet radiorum irruentium quantitatem, sicut contra niger color pupillam dilatat, quo magis sufficiens lux oculum ingrediatur. Proinde cum albus color plerumque est corporum maxima ex parte pellucidorum, ac propterea radios lucis incidentes refringentium, uti exemplo nivis ac spumæ patet, aut modicè inæqualium, uti paries albus, aut charta, aliaque demonstrant, fit, ut à tot superficieculis innumeri radii ad oculum quoque ferantur, qui nimiam impressione lassitudinem illam visui inducant. Ater verò color, cum ut plurimum in corporibus maximè opacis sit, aut nullos, aut omninò paucos radios emittit, nisi & unà corpus summe lævigatum sit, & lux, quam lævigatum ejusmodi corpus reflectit, accedat.

QUÆSTIO X.

Quare viridis color visum tantopere recreet?

Sicut in omnibus sensibus, ita & in visu, uti jam dictum, sensibile nimium sensorium lædit, imò destruit, moderatum verò & mediocre recreat, non adeò mirabitur quispiam, quare color viridis visum tantopere recreet, qui originem ipsius vitoris novit. Medius enim inter colores est, quippe qui à flavi caruleique mixtura nascitur. Flavus obscurior est albo, ac proinde moderatior, uti caruleus illustrior est nigro, & propterea gratior, qui ambo viridis coloris sunt parentes. Hinc nec adeò multos, ut flavus, multò minùs, ut candidus, radios viridis color evibrat, neque etiam ferè prorsus nullos, ut ater, aut paucos admodum, ut caruleus emittit: sed moderatâ radiorum effusione tantam sibi in oculo gratiam conciliat. Quamvis prout magis minusve ad hunc vel illum colorem deflectit, magis vel minus gratus esse soleat. Non ergò ut Cardanus l. 3. de rerum varietate putat, quia *animum magis, quàm visum recreat*. Sed quia, uti jam dictum, ex flavo caruleoque emergit, utriusque possidens amœnitatem. Nimi-

C 3 rum.

rum, uti Cartesius in tractatu de homine ait, Est viridis color instar octavae inter sonos Musicae consonantes, vel instar panis, inter cibos, quibus vescimur, hoc est, talis, qui magis omnibus universaliter gratus est.

QUÆSTIO XI.

An & quare pluribus intentus minor ad singula visus sit?

OMnes sensus fallere sæpius, & falli, apud omnes in confesso est, licet extet illud Lucretii

- - - *Sensus non posse refelli;*

Adeò, ut si cum Cartesio de omnibus semel in vita dubitandum est, omninò de sensu dubitare liceat. Inprimis autem sensus non exquisitè respondent, ubi plura ipsis offeruntur sensilia, unde & natus est versiculus vulgatissimus:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Sanè de visu, quamvis sensuum certissimus dicatur, idem pronunciare possumus. Nempe hoc non tam ob ipsius sensus imbecillitatem, quàm ob organi ipsiusque sensilis dispositionem contingit. Siquidem, cum, uti ex superioribus constat, ad visum accuratè efficiendum pro varia objectorum distantia atque illuminatione ipse quoque oculus varietur, protuberantia scilicet inprimis corneæ, pupilla, humorque crystallinus, à quibus & reliquæ partes in consensum trahantur, fit, ut non nisi unicum objectum accuratius comprehendere queat. Unde & rem aliquam perspicaciter intuituri, in illam solùm oculos convertimus. Proinde cum multa, eaque tum ratione loci, tum ratione luminis diversa objecta simul contueri uno ictu volumus, contingit, ut neutrum accuratius observemus: eò quòd partes oculi non nisi ad unum objectum capiendum & accuratè delineandum sese componere queant. Quamvis non excludendi sint spiritus visivi, ceu quibus exhaustis segnius quoque & ligamentum ciliare dictum, & processus moveantur, necesse est.

QUÆ.

QUÆSTIO XII.

*Qua de causa ex tenebris subito in apri-
cum prodeunt cæcutiamus?*

Generalem equidem hujus rei rationem reddit Scaliger *exercit. 73. læsionem fieri* inquit, *repentina illata luce, iis, qui diu in tenebris commorati sunt, quia inassuetis novæ sunt species, omne autem novum valde mutat; Hippocratem aph. 50. & 51. f. 2. secutus.* Hoc verò in specie præstare debet pupilla, quæ, uti jam dictum, in tenebris dilatatur, in luce constringitur. Hinc qui longo tempore in carcere tenebricoso, aut cryptis subterraneis commorati fuerunt, pupillam ita dilatationi assuefecerunt, ut ejus fibrillæ ferè rigeant. Proindè cum subito luci rursus diurnæ, imprimis solari exponuntur, & fibrillæ pupillæ ob consuetudinem contractam non illicò relaxantur, fit, ut conferta nimis & copiosa lux in oculum irruat, irruensque delineationem imaginum in retina turbet: qua turbata, necesse est, vel nullus omninò, vel paucus admodum sit visus. Unde &, sicut experientia demonstrat, cæcorum instar palpant, & hallucinantur. Sed & contraria de causa accidit, idem ferè iis, qui diu sub sole versati, subito conclave aliquod tenebricosum, aut minus illustratum, v. g. cellam aliquam ingrediuntur, nempe quòd fibrillæ illæ, nimis ob fulgorem solis, cui recipiendo assueverunt, laxatæ, non illicò contrahi, atque ita pupilla magis adaperiri queat. Unde debilis illa, qua conclave illustratur, lux non sufficienter oculum ingreditur, quantum scil. ejus ad visum faciendum requiritur. Nempe ut in aliis, ita inprimis in visu, ejusque organo oculo luce natura opus habet: modò illa lucem ipsam non adèd tenebris involvisset, ita, ut ferè nusquam magis, quam in luce explicanda, luce egeamus.

AD

AD
DN. RESPONDENTEM,

Dum thesi is clarè nunc,
Præstantissime Fauſti,
Noſcamus lucem quâ ratio-
ne, doces:

Doctrinæ ſurgit Tibi lux no-
va, ſurget & inde
Lux Generi, Patruos quan-
do imitare, Tuo.

Sic, Patruum in ſacris ut fulgida
Lumina lucent,
Tu Domui Medicâ lumen
in arte dabis!

Votum
PRÆSIDIS.

F I N I S.









Strassberg, Med. Diss., 7.
Faust-Fuchs
(1.)


ULB Halle

3

004 932 633







QUÆSTIONUM ¹⁻²¹
DE
V I S V
DODECAS,
IN
ACADEMIA ARGENTORATENSI
AD DISPUTANDUM PROPOSITA,
PRÆSIDE
D. D. JO. VALENT. SCHEID,
MEDICO ET PHYSICO
PROFESSORE,
IPSIUSQUE UNIVERSITATIS
P. T.
RECTORE MAGNIFICO,
A
JO. MICHAELE FAUSTIO,
ARGENTORAT. MED. STUD. A. & R.
IN AUDITORIO SOLENNI
DIE XXII. MENS. JUNII A. C. cl̄l̄cLxxxiv.
ARGENTORATI
LITERIS JOHANNIS PASTORII.